



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 27. Quomodo intelligens & intellectum sint idem ad tex. com. 92.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Quod autem ad alteram causam attinet, propter quam Philoponus Aristotelis solutionem contempnit, nihil est opus immorari. Nam Aristoteles non est loquutus de proprio & improprio intellectibili, cum intellectibile omnem intellectum fore deduxit: Sed de intellectibili seipso, & non per aliud. Vniuersalia enim materialia etsi proprie sint intellectibilia, intellectus tamen non sunt: quoniam non sunt intellectibilia seipsis, sed quatenus intellectu & cogitatione separantur à materia. Alioqui seipsis materialia sunt & potestate intellectibilia: suntque ab intellectu intellectibilia actu: & idcirco non à seipsis, sed ab alio intellectibilia sunt, dum à materia liberantur. Sola igitur ea, quæ sua natura & seipsis immaterialia existunt, intellectibilia sunt & intellectus: cætera intellectibilia duntaxat; vel etiam vt per se coherent, sensibilia aut imaginabilia. Et ille ipse interpres hoc tandem loco fatetur disciplinas non esse proprie intellectibiles: à nobis tamen intellectibiles appellari, quod à nobis effectæ sint, atque in mentis nostræ agitatione versentur. Quæ autem sunt cum rebus, quæ per illas sciuntur; aut conditionis melioris & cum intellectu magis coniunctæ.

TEXTVS:

Ἡ δὲ θεωρητικὴ ἢ θεωρητικὴ, καὶ τὸ θεωρητικὸν αὐτὸ αὐτὸ ἐστίν.

Theoretica enim scientia & id quod scitur, idem est.

COMMENTARIUS XCII.

His verbis priorem sententiam, quam de immaterialibus intellectibus pronuntiauit, tum extendit etiam ad materialia, tum eam argumento à minori confirmat. In ijs, inquam, quæ sunt sine materia, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur. Namque in ijs ipsis, quæ materialia sunt, quatenus ab intellectu cognoscuntur, idem sunt hæc duo. Eadem enim intellectio, qua contemplamur quidpiam, quatenus intelligentis intellectus est actio, id sanè est, quod intelligit; quatenus verò obiecti & intellectæ rei forma, id est, quod intelligitur. Alio item modo à minori argumentum deduxit Priscianus cap. 19. Si scientia, quæ ratiocinatione, progressionem, & multiplicitate quadam constat, idem euadit cum scibili; multò magis idem erunt intellectus, qui simplex est & indiuiduus, & id quod intelligitur.

De theoreticis autem solis scientijs, non item de practicis, loquitur. Quoniam illæ in sola cognitione versantur: quare eadem cognitio potest & intelligens & intellectum esse. Hæ verò, cum ad agendum quidpiam referantur, obiectum spectant externum à se distinctum. Verum si in his ipsis solam accipias cognitionem, quæ agendi principium est, eamque per se consideres; de illis tantumdem poteris affirmare. Et scientiam fortasse theoreticam non proprie nominauit, vt

ab ea, quæ practica est, distinguitur: sed cognitionem quolibet vt cognitio sola est, significare voluit. Vel eam potius, qua intellectus solus absque sensu & phantasia operatur; formæque ipsas & quidditates materialium rerum absolutas à materia contemplatur. Vt eam ab illa priori separaret; qua tota composita materialia cum sensu & phantasia cognosci dixerat.

Quod si in materialibus intellectibus id euenit, dū à materia separatur; multò magis in immaterialibus eueniet, quæ seipsis existit separata. Quodque illis interdū alterius ope ac beneficio accidit, hoc in his perpetuum erit & naturale. Sanctus Thomas de sensu idem credidit affirmari posse.

Immo hunc locum, in quo intelligens & intellectum, scientiam & id quod scitur, idem esse asseritur; respondere planè superiori illi, in quo sensum actu & sensile actu, idem reipsa esse Philosophus prodidit: fauetque Priscianus loco paulo ante citato. Ego verò neque hoc puto Philosophum agere; sed id quod illius erat institutum; vt intellectum ostenderet seipso intellectibilem esse. Neque iudicat Simplicius proprie dici posse, sensum esse sensibilia. Quoniam etsi is quoque rei sensibiles formam sine materia quoquo modo suscipiat, dum sensationem suam, velut illius formam & similitudinem suscipit: eam tamen non intuetur, neque sensibilia cognoscit formam illam in se susceptam cognoscendo: sed foras progreditur, obiecta ipsa realia sensatione sua diiudicando: non enim is in seipsum conuertitur, sed ad alia extenditur. At intellectus intellectibilem formam verè suscipit sine materia: & quamuis dum simul cum sensu & phantasia intelligit, materialem rem in seipsa agnoscat; cum tamen per se solus operatur, illam ipsam formam, vt obiecti, cuius est forma, repræsentatricem comprehendit, atque ita obiectum ipsum intelligit. Idcirco absentia quæuis, & ea, quæ nusquam in natura subsistunt, intelligit.

Quoniam in seipsum conuersus formas contemplatur suas, in illis naturas ipsas agnoscens, quarum sunt formæ; sicut qui Socratem in imagine videt: illæque ipsæ & obiecta intellectibilia sunt, & materialium obiectorum imagines.

Hæc est illa cognitio, quam eandem esse ait cum eo, quod cognoscitur. Quoniam circa rem cognitam versatur, non vt in se & cum materia coniuncta subsistit; sed vt in seipsa repræsentatur, atque à materia separata in intellectu continetur. Nam vt ad res ipsas, quemadmodum in se sunt, extendit sese, & eas in propria illarum natura, qua extra ipsum existunt, considerat; manifestum est, aliud intellectum esse, aliud id quod intelligitur. Itaque scientia hoc loco proprie nõ usurpatur: sed aut pro quauis cognitione formæ & quidditatis abstractæ, solius intellectus propria: aut pro intellectu intelligente; scientiamque nominauit, quasi intellectum scientem & actu operantem.

Digressio XXVII. Quomodo intelligens & intellectum sint idem.

Quod si ita sit, inanes fuerint intellectibiles illarum formæ ab intellectu diuersæ, quæ à per multis cogitatur. Nam si res quæque in ipsius intellectus notionibus intelligatur, hæc;

MMMM ij

Sensibile sensibilia non esse idcirco Simplicio.

Vt in se lectio & intellectu idem.

Contra intellectibiles species.

verè sint intellectuales rerum formæ; quid alijs præter has opus sit? Ea sanè cum intellectu dici nequeunt idem esse.

Ut autem vim rationationis Philosophi planius assequaris, eiusque magis doctrinam admireris; obseruandum tibi erit, vniuersam hanc probationem ex natura & vi, tum cognitionis vniuersæ, tum speciatim ipsius intellectiōnis ductam esse. Cognitionem omnem, vel etiam sensus, non semel antea dixit susceptionem esse formæ sine materia, quatenus est operatio substantiæ & facultatis quoquomodo à materia eleuata; quæ vim habet assimilandi sibi & in se transformandi obiecta omnia cognita, dum illorum solas formas absque materia effingit, atque in cognoscente ponit. Intellectus vero, vt est

prorsus immaterialis atque ab omni corporis mole abiunctus, immateriales prorsus efformat formas, resque omnes (vel ipsam materiam) ad esse prorsus immateriale sibi que simile traducit. Fit autem non quæuis, sed quàm maxima esse potest assimilato. Nam triplex cogitari potest similitudo. Vna generis, vel speciei: quæ in naturalibus plurimum commendatur, dum generans dicitur sibi simile generare; diuersum quidem indiuiduum, sed eiusdem speciei, aut certè generis. Altera indiuidui quoque, quæ omnium maxima creditur; & identitas potius, quàm similitudo. Vt cum in theatro mimus personam Cæsaris referens indiuidui similitudinem, & quantum fieri potest, identitatem procurat: dum suis omnibus conditionibus indiuiduis exutis eas omnes induit, quæ Cæsaris sunt; vestes, barbam, vocem, incessum, ac pronuntiationem omnem, vt illud idem indiuiduum videatur. At quoniam non potest omnino fieri Cæsar, ea similitudo non identitas, sed imitatio & representatio nominatur; qua sese, quàm maximè licet, in alium transfert. Tertia igitur similitudo hac vtraque maior est in cognitione.

Non solum enim generis est aut speciei, sed item indiuidui nec imitando solum aut quoquo modo representando obiectum cognoscenti, sed ad viuum exprimendo, atque in seipsum planè transferendo secundum eandem prorsus naturam & entitatem. Vt verius identitas, quàm similitudo, dicatur. Caterùm quoniam duo, quæ ordinis eiusdem sunt, idem fieri nequeunt: & ideo mimus & Cæsar vnum planè & idem euadere non possunt, quia duo sunt eiusdem materialis ordinis indiuidua: Vt identitas consequatur, eleuatur obiectum cognitione ad altiore & meliorem naturam; nempe ad esse cognitum, quod immateriale quodammodo est vt ita in cognoscentem transformetur; qui supremus est similitudinis gradus, què verè Philosophus identitatè appellauit, cum scientiam, & id quod scitur, idè esse affirmavit.

Cognitio
nis vis.

Hinc verò tria adhuc intelliguntur. Primum; quanto opere alijs omnibus operationibus cognitio præstet. Nam ceteræ solum secundum suum proprium actum perficiunt id, quod operatur; siue aliquid aliud, si operatio fuerit in externum subiectum transiens. At cognitio vim habet res omnes in cognoscentem transferendi: & quidem si materiales. saltem spectetur meliori modo, quàm in seipsis sint. Atque ita

A cognoscentis anima tum diuiniore euadit formarum locus, quàm materia sit; tum velut tabella rerum omnium characteribus inscripta imaginibusque picta. Quæ scriptura seu pictura ceteras omnes, quæ arte plurima & industria fiunt, longè antecellit: quod ille nunquam satis res ipsas assequuntur, sed illis semper inferiores sunt, hæc magno opere superet. Itaque cognoscentis anima cognoscendo fit omnia diuiniore multo modo, quàm ipsa sint; dum ad nobilissimam illam conditionem eleuata transferuntur in ipsam omnia, idemque cum illa euadunt.

Alterum: maiorem multo esse cognitionis vnionem cum cognoscente quàm alterius cuiusvis operationis cum suo principio, à quo ea proficiscitur. Aliæ solum habent vnionem actus secundi cum primo; cognitio vero, tum hanc, tum arctiorem alteram formæ cum materia. Quippe ex actu cognitionis tanquam rei cognitæ forma, atque ex cognoscente seu subiecto, perfectissimè fit vnum in esse cognitio.

Tertium ac postremum; multo adhuc maiorem effici vnionem cognoscentis cum re cognita, quàm cum ipso cognitionis actu: & ratiō maior em, quàm ex materia & forma: vt venissimè in comment. s. huius libri scriptum reliquit Auerroës. Vnio enim cognoscentis cum cognitionis actu est vniō actus primi cū secundo, efficiens eius effectū: Vnio materiae & formæ actiōis sanè est, omniumque arctissima existimatur in natura. Sed tamen dum hæc duo vniantur, nec materia fit forma, nec forma materia; sed naturarū diuersitate retenta ita solum coniunguntur, vt

tertium quidpiam per se ex vtraque exiit; quod compositum substantiam vocamus. At vniō cognoscentis cum re cognita identitas potius est: quia res per cognitionis actum in cognoscentem verè transformatur, & ex vtroque vnum quidpiam & idem efficitur. Id porro in omni quidem euenit cognitione, siquidem ex vi & natura cognitionis nascitur, sed tamen (vt rectè, Simplicius adnotet) diuiniore modo quo diuiniore præstantior, hoc est magis immaterialis, cognitrix vis & cognitio fuerit. Itaque minus per se est in sensu, meliori modo in intellectu, tum nostro, tum angelico; in quibus perfecta fit cum cognita re vniō, at non cum cognitionis actu. Res in quâ intellecta per intellectiōnem, seu intellectū vt est intellectæ reifor-

ma, in intelligentē perfectè transformatur, atque cum eo fit idem. Eadem tamen intellectio quatenus intelligentis nature actio, diuersa est ab intellectu, solumque effectus & causæ vnionem habet. Quare in vtraque; hac cognitione identitas vnica est intelligentis & intellectæ rei; duplex autem compositio, altera intelligentis substantiæ & facultatis intellectus; altera facultatis & actionis, actus primi & secundi. Optimo autem, & altissimo modo hæc omnia vniantur & idem in increato intellectu diuino: nec solum intelligens & intellectum, sed substantia quoque intelligens & intellectus, atque intellectus demum & intellectio; substantia, facultas, operatio, & obiectum. Nam & seipsum solum intelligit atque in seipso omnia: & propter infinitatē naturæ, qua non participatum & contractum quodpiam ens est, sed ipsum ens per essentiam; ratio-

nem

nem omnē entis absorbet, omnēq; cōpositionē
excludit, quam in entibus participatis multipli-
cem existere necesse est.

TEXTVS.

Τὸ ὅτι μὴ ἀεὶ νοεῖν, τὸ ἀεὶ νοεῖν ὁμοιωμένην

Tex.
16. Cur verò non semper intelligat, consideranda est
causa.

COMMENTARIVS XCIII.

Quæstionem sic quandam aut dubitationem
contineri, apertè satis ipsa verba testantur.
At num ea explicetur, an sine explicacione dimit-
tatur; quam item dubitatio sit; dissentiunt in-
terpretes. Quarit cur non semper intelligat.
Quod Auerroës non de intellectu, neque de in-
tellectu, sed de intellectibili vult proponi: cur
non semper, id est non omnem intellectibilem intelli-
gat; hancque eandem esse quæstionem, quæ ante
proposita fuit, cur non omne intellectibile sit intel-
lectus. Huic autem responderi putat, causam esse,
quoniam non omne intellectibile est actu, sed
quædam potestate. Illa enim, quæ actu sunt in-
tellectibilia, nempe immaterialia, intellectus item
sunt: quæ verò potestate, non item; entia scilicet
materialia. Verùm in his nimiam verbis vim
infert. Primum dum (semper) interpretatur si-
gnificare omne; & (intelligat) hoc est intelle-
ctu, sit. Deinde cum imperfectam philosophi
orationē facit; alteram solam responsionis par-
tem poni dicens, materialia entia potestate in-
tellectibilia esse; ex qua intelligenda sit altera, im-
materialia esse intellectibilia actu. Leueque huius
argumentum adducit aduersariam particulam
(autem) quæ diuisionem notet atque alterum
membrum postulet. Quippè frequentissimus
est alius illius vsus, vbi nulla est huiusmodi op-
positorum membrorum redditio.

Accedit aliorum omnium consensus, qui tum
quæstionem nouam nondum propositam; tum
non de intellectibili, sed de intellectu & intellectu-
ne eam esse autumant. Simplicius, Albertus, &
alii, & Priscianus cap. 20. vnam & generalem
cuiusvis intellectibilis obiecti comparacione; cur
intellectus aliquid non semper intelligat, siue
seipsum, siue aliud quidpiam. Putatque Albertus
consequentibus verbis responderi, intellectum
alia intelligere abstrahendo à materia; seipsum
non abstrahendo, quoniam immaterialis est; &
ideò alia non semper ipsi præsentia esse nec actu
intellectibilia, antequam abstrahantur; ipsum sibi
semper præsentem esse, actuque intellectibilem.
At ex hac responsione consequens est, intelle-
ctum semper seipsum intelligere; quoniam sem-
per intellectibilis actu, & sibi præsens est. Id verò
tum res ipsa testatur esse falsum, cum vix & per-
rarò nec nisi cum difficultate, seipsum intelligat.
Tum Aristotelis illud accedit; tunc demum seip-
sum intelligere intellectum posse, cum fuerit sin-
gula factus; nimirum non ex se, sed ex aliorum
cognitione in sui notitiam perductus. Denique
respondio quæstioni planè contraria est. Quæri-

tur enim, cur non semper intellectus alia & seip-
sum (sic enim proponit Albertus) intelligat;
respondio autem causam docet, cur non semper
alia, seipsum semper intelligere queat. Nec video
quomodo hæc non pugnent, nisi proponatur
quæstio, cur non semper actu intelligat intel-
lectibilia cætera, vt seipsum. Tunc enim ea di-
uerfitatis ac discriminis ratio adferri posset. Sed
falsum acciperet quæstio, intellectum semper
seipsum intelligere.

Simplicius ergo quæstionem proponi ac sine
solutione dimitti, veriùs statuit. Eadem Philo-
pono sententia. Sed hic specialem quæstionem
facit, cur non semper seipsum intelligat. Quod
Themistium sensisse credo; & mihi quidem cer-
tè magis videtur accommodatè dici. Nam etsi
quæstionem vniuersam proponi quis crederet,
quoniam postremis verbis fuerat vniuersè di-
ctum, scientiam & id quod scitur idem esse: ex
dictis tamen manifesta erat causa, cur alia non
semper intelligantur; tum quia intellectus com-
paracione illorum est potestate, & tanquam nu-
da, rudisque tabella: tum quia materialia entia
potestate, non actu, sunt intellectibilia, nec intel-
lectui semper præsentia. Maximè autem ad rem
erat causam querere, cur seipsum non semper
intelligat. Vt hæc verba (cur verò non semper
intelligat) superioribus illis respondeant, quibus
eum dixit intellectibile esse, vt intellectibilia; quo-
niam in iis, quæ sunt sine materia, idem est quod
intelligit, & quod intelligitur. Inde namque du-
bitandi occasio est. Quia si is seipso intellectibilis
semper actu est, quemadmodum separatè cæte-
ræ, atque immateriales substantiæ, cur non sem-
per seipsum intelligit? Nam & abstractæ reliquæ
substantiæ seipsas semper intelligunt. Et si in im-
materialibus idem sunt intellectus & intellecti-
bile, & quod actu intelligitur est actu intelli-
gens; cum semper sit actu intellectibilis, cur
non etiam semper est actu intelligens? Si
materialia non semper intelliguntur, causa est,
quòd non semper sunt actu intellectibilia, neque
intellectui præsentia; sed abstractione à materia
opus habent. Ipse verò abstractus semper est &
intellectus actu, sibi que præsens.

Hanc dubitationem is sanè proposuit: at mi-
nimè explicauit neque huius rei causam aper-
tè, sed planè prætermisit. Aut in alium diffe-
rens locum, in quo post docturus est nil eum si-
ne phantasmate intelligere. Aut eam fortasse
causam esse existimans, quam in superioribus
indicaui, cum illum dixit, tum demum posse
seipsum intelligere, cum fuerit singula factus.
Quoniam non nisi ex aliorum cognitione seip-
sum intelligit. Aliorumque cognitionem non
semper nec insitam habet, sed tempore sibi plu-
rimo ac labore comparat.

Digressio xxviii. Cur intellectus non semper
intelligat.

Verùm cum nihil apertè hoc loco respon-
deatur, diuersas alias interpretes cogita-
runt causas. Quod autem Themistius pro-
pterea illum dixit non semper seipsum intelli-
gere, quoniam vt est potestate intellectus, sic
MMMM iij

Primà
TAV.